

IN ERUDITISSIMOS SACRORUM BIBLIORUM POLYGLOTTORUM COMPILATORES:

Poema.

*E*sto; *res angusta domi virtutibus obstet;*
Sed facile emergit, quæ veneranda, cohors:
Usque extrema novum scabies hoc occupet ævum;
Ferrea at hæc ætas aurea prela dedit:
Sit turbata suis erroribus Insula; *purâ*
Intereà sacri fontis abundat aquâ:
Vilescat, meritò sibi spreta, Brittannia; *nullam*
Spreta, tamen, famam non superare potest:
Nempe, quod externus nullus Rex præstitit, illud
Anglus, *privatus, pauper, egenus agit!*
Ergo, pace tuâ, versu quos dicere non est,
Sunt numeri, Lector, *delitiæque meæ:*
Hispida succinctum fecerunt nomina metrum,
Et, tu quæ credas barbara, docta sonant: (ton,
Vos humilis celebrem Thorndick, Fearn, Rieves, Baker, VVal-
Selden, Smith, Vicars, Graves, Fuller, Usser, Whillock,
Stern, Drak, Stokes, Pocock, Sanderson, Shelden, *&* Ham-
Æternùm, Vestro nomine, clarus ero! (mond.
[illegible], *& vestra volumina testor*
[illegible]
Complutensia *sunt bona, et* Hispanica *præsunt,*
His meliora potens biblia Gallus *habet;*
Quæ tria, sint vestris collata, volumina fient
Chartis, & foliis mox leviora suis:
Scilicet, hæc istis præcellunt biblia, penè
Humanis quanto Biblia sacra libris.
Horum, seu, methodum, linguamve, typumve requiram,
Horum me methodus, lingua, typusque juvant:
Quot partes *numerem, numerem miracula; cunctis*
Miraclisque venus, nescio qualis, inest!
Unum, & idem folium *diversa, eademque reponit,*
Unum, & idem folium *fit numerare labor!*
Quæque suam & retinet sortitam Versio *classem,*
Et (quid non potuit lucidus ordo?) decet!
Singula dicta, *sibi variè repetita, recurrunt,*
Singula sed variè, sic repetita, placent!
Non, nisi septiplici linguâ, vox ulla refertur,
Nec, nisi sit decies lecta, legenda semel!
Talem quis, demum, leget hanc? nemo, (autumo) nemo,
Vix tu, (quòd credam) candide, Lector *eris:*
Digna quidem lectu, sed conspicienda, revolves,
Te Spectatorem postulat hicce liber!
Linguas, qui potis est, legat has; sin perlegat unquam,
Judice me, ritu Clericus ille legit:
Has tamen ille leget, lectas intelliget ille,
Vestris qui monitis erudiendus erit:
Fœdera sacra (Patres *in publica commoda nati!*)
Et datis, & capere hæc fœdera posse datis;
Testamenta Dei, Vobis Scriptoribus, extant;
Extant antiquis, jam, renovata modis!

Ambo nil mutata, ambo mutata videntur;
Prodit utrumque Vetus, prodit utrumque Novum!
Retrò sese gestit utrumque; retroque reflectens
Primævâ gaudet simplicitate frui!
En, sacra semper erat toto pretiosior auro
Pagina; bis tanti, Vestrâ operâ, illa valet!
Eximias adeò secum fert undique limas
Linea quæque suas, litera quæque suas!
Nec miror; Vestros, nam, castigatus adungues,
Omne suum punctum Textus ubique tulit!
Hinc, vos præclaros tantum non Pagina sacra
(Sit licet à vobis ipsa colenda!) colit!
Vos, in Scripturis, (liceat modò dicere) fama
Magdelenæ *instar, non peritura manet:*
Laudem, in Evangelijs, confert Ecclesia; *laudem,*
Hei mihi, quòd meritam reddere nulla queat:
Quisquis retribuet tanto quæ Codice digna,
Hôc majora nequit ferre, minora neget:
Salva tamen res est: hic enim complectitur in se
Qualia sunt [illegible] *digna* [illegible]
Hunc simul inspiciam, Christi *sunt omnia plena:*
Messiam *narrant singula, juncta probant!*
Mons Domini, hic, passim montes superimminet omnes,
Gentium *ubique patent* Canaan, *atque* Sion!
Hymnos enumerant Musæ, *cantantque* Sibyllæ,
Et liceat sacro, nunc, Helicone *frui!*
In sanctam linguam transivit lingua profana,
Nec purum labium solus Hebræus *amat!*
Credita Judæis *referunt mysteria* Gentes,
Fallere quas Eber, *si velit ipse, nequit:*
Mentiri ignorant tot linguæ: accepimus illas
Quæ nil, si cupiant dissimulare, sciunt:
Divinum quoties concinnant undique Verbum,
Huic, cui non credunt, credere posse docent!
Eja, agitote, Patres: *juvet hæc encomia vobis*
(Atque refellente hæc nemine!) danda fore;
Gentiles *calami minimè nos credere posse,*
Nos Vestri calami credere posse docent!
Antiquas linguis alias his addite; famam,
Par est, ut Vestram plurima lingua canat:
Omen inest; nec vana loquor; nec sit leve, summa
Quod, quæ profertis, Biblia pondus habent:
Quid quòd hoc Augustum, *totos monumenta per orbes*
Vobis, post cineres, conciliabit opus?
Imò, quale Deum *deceat, prægrande volumen*
Vivis exhibuit, non monumenta, Deum!
Sanctus *(si qua fides) haud nunc, velut antè, bilinguis*
Spiritus *existit, sed* Polyglottus *adest!*
Docta viris doctis quæ Biblia vertis honori,
Sint (Polyglotte) *Tui gloria, Nostra salus!*

ÆGIDIUS OLDISWORTH,
Anglus, A.M. Burtonii *super*
Montem Rector.

